



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola XI. Alexandri Papae II. Ad Landvlphvm. Respondet quod non aliter
quam cum consensu vxoris suae monasticam vitam ingredi & votum
continentiae emittere possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Præterea eminentiæ vestræ notum esse volumus, quod De causis
Lanfranco missis.
causa Alricii, qui olim Cicestrensis ecclesiæ præsul dictus
a suppositis legatorum nostrorum depositus est, non ad
plenum nobis tractata videtur: ideoque, sicut in Cano-
nibus cautum est, in pristinum locum debere restitui iu-
dicauimus. Deinde causam eius iuxta censuram canoniciæ traditionis diligenter retractandam & definiendam
prædicto fratri nostro archiepiscopo Lanfranco com-
Lanfrancus
decrevitur
legatus
apostoli-
cus.
misimus. Item sibi negotium de discernenda lite, quæ
inter archiepiscopum Eboracensem & episcopum Dor-
cacestrensem de pertinentia dioecesis eorum est, firmi-
ter iniungendo commendauius, ut hanc causam dili-
gentissima perquisitione pertractet, & iusto fine deter-
minet. In causis autem pertractandis & definiendis ita
sibi nostræ & apostolicæ auctoritatis vicem dedimus, ut
quidquid in eis, iustitia dictante, determinauerit, quasi
in nostra præsentia definitum deinceps firmum & indis-
solubile teneatur. Multa vobis præter hæc significata de-
dissemus, nisi quod ea in huius dilectissimi fratris nostri
Lanfranci, & eiusdem fidelissimi vobis ore posuimus,
ut eius viua voce & nostræ dilectionis affectum plenius
cognoscatis, & reliqua nostræ legationis verba attentius
audiatis. Deus autem omnipotens det vobis quæcum-
que sibi sunt placita velle & posse, ut & hic auctor sit
vestri gubernaculi, & retributor in gloria sempiterni
gaudii.

EPISTOLA XI.

ALEXANDRI PAPÆ II.

AD LANDVLPHVM.

Respondet quod non aliter quam cum consensu vxoris
suae monasticam vitam ingredi & votum
continentiæ emittere possit.

Alexander II. Landulpho in Corsica.

NO TIFICASTI te morte tenus infirmatum esse, &
peccatorum tuorum recordatione, & terrore val-
de pauefactum, anxie quæsisse monachum fieri, & a tua
vxore minis & terroribus eam occidendi ad hæc licen-
Concil. Tom. 25.

Iiii

tiam extorsisse, & sic te monachicam vestem sine abbatे sumpsisse, & monasterium petiisse. Postea vero cum sa-
nus factus essem, tua vxoris reclamationibus & eiulatio-
nibus & planetibus, tuæque familiæ dispersionibus, vt po-
te penitus deuictus, domum remeasse, & post multos dies
quorumdam sapientum consilio ad iam dictæ mulieris
cubile rediisse diceris. Nunc autem, si tua vxore vti li-
ceat, nostrum requiris consilium: si ita denique est vt
tuus nuntius narrat, non videtur nobis rationabiliter
neque sana mente id factum. Quoniam cum omni homi-
ni ad monachicam vitam tendenti legaliter & iuste sit
peragendum, tu contra leges minaciter & violenter a tua
vxore, partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis do-
loribus exanimatus, de via securus, nulla, vt dicitur, licen-
tia accepta recessisti, & monasteria petisti. Non enim
violentia, sed ex pari voluntate, sicut sancti patres dicunt,
hæc fieri debent. Neque vir in monasterio recipiendus est,
nisi vxor illius femineum monasterium elegerit, aut pro-
fessa continentiam habitum cum festinatione mutauer-
it. Sanctus enim Basilius episcopus de hac re taliter di-
cit: Si quis coniugatus vult conuersti ad monasterium,
non est recipiendus, nisi prius a coniuge castimoniam pro-
fitente fuerit absolutus. Nam si illa illo viuente alteri per
incontinentiam nupserit, procul dubio adultera erit, nec
recipitur apud Dominum eiusmodi viri conuersio, quam
sequitur coniugalis foederis prostitutio. Tales igitur tunc
sine culpa reliquo sæculo sequuntur Christum, si habeant
ex pari voluntate castitatis consensum. Itaque, fili caris-
sime, perpende & vide, si sic canonice a tua es solutus v-
xore, & tua vxor ita pollicita est, & tu & illa adimplete
bonum inceptum, & votum vestrum, aliter enim non
debemus vobis necessitatem separationis imponere.